



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XLVI. De Observatione Jejuniorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](#)

ponere. 3. Noviter inventas publicæ veneratio-  
ni exponere absque Summi Pontificis approba-  
tione; licet sufficiat approbatio Episcopi in casu,  
quo inveniuntur Reliquiæ cum scriptura vel in-  
strumento publico, aut aliunde constet certò, eas  
esse alicujus sancti antiquitus approbati. Haben-  
tur hæc c. 1. & 2. b. t. Trid. f. 25. in Decreto de  
Invocatione, Veneratione, Reliquiis Sanctorum,  
& sacris Imaginibus: quod utiliter inspicies, uti  
& meum Cursum Theol. Polemica p. 2. controv.  
particul. 2. art. 2.

## TITULUS XLVI.

### De Observatione Fejuniorum.

#### SUMMARIUM.

1. Fejunium & Abstinentia quid.
2. Quinam obligentur ad hanc, & ad illud.
3. Dispensatus ad esum carnium non tenetur ab-  
stinere ab altera refectione in eodem die.
4. Quantum liceat comedere in Collatiuncula Ve-  
spertina.

**F**ejunium in genere est abstinentia à cibis, seu parsimonia victus in quantitate & qualitate. I  
Est duplex: Naturale, quod consistit in abstinentia ab omni prorsus cibo & potu, per modum cibi aut potius sumpto, atque hoc præcipitur ante sumptionem Eucharistiæ. Et Ecclesiasticum, quod ab Ecclesia præscribitur secundum certam formam. Si Ecclesia præcipiat præcisè

Q 2

ab-

abstineri à certo ciborum genere, nimis à carnis, vocatur *Abstinentia*: si præter carnes vetet simul alteram in die refectionem, jubeatque una refectione integra in cibis esurialibus, seu carne distinctis, sumpta esse contentos, appellatur strictè *Jejunium*, quod observari debet in *Quadragesima*, in angariis feria 4. 6. & sabbathò, in vigiliis Nativitatis, Pentecostes, SS. Apostolorum &c. Et hoc jejunium definitur esse *abstinentia à certo genere ciborum sub una refectione ad meridiem sumenda*. Cibi prohibiti sunt carnes, & quidquid in communī aestimatione habetur pro carnibus. *can. 7. 8. 11. d. 3. de consecr.* item pro *Quadragesima etiam lacticinia*, seu illi cibis, quā sementinam carnis originem trahunt. *can. fin. d. 4.* uti lac, butyrum, caseus, ova. Verū ea serē ubique in Germania permittuntur vi consuetudinis. Si comedantur carnes in notabili quantitate, peccatur graviter toties, quoties. Si adhibeat altera refectio, etiam per plures comediones modicas successivè constituentes integrum & plenam refectionem, pariter peccatur mortaliter. *Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 8. c. 1. v. quartum.* Licitum tamen est sub vesperum sumere collatiunculam seu cœnulam moderatam ex recepta consuetudine, ex qua pariter pro refectione introductum est tempus meridianum seclusā justā causā illud mandandi; nam olim in *Quadragesima* debebat sumi primum ad solis occasum. Abstinentia ab altera refectione fundatur in *can. 50. d. 1. de conf.* imd̄ magis in traditione & consuetudine.

2. Dico 1. Quamvis abstinere à carnis, Veneris, Sabbathi, & Jejuniorum diebus teneantur omnes

De Observatione Jejuniorum. 213

omnes Christiani, septimum ætatis annum egressi;  
quia præcepta Ecclesiæ per se comprehendunt  
omnes & solos ratione præditos Christianos.  
2. Abstinere autem ab altera refæctione, seu ad  
jejunium, illi soli, qui compleverunt 21. ætatis  
annum; sic enim habet communis DD. sensus:  
nisi & isti aliunde excusat, v. g. ex causa vale-  
tudinis, magni laboris corporalis, intensi studii,  
dispensationis &c. An verò sexagenarii excuse-  
tur, dubium est inter Auctores: probabiliter af-  
firmant Portell, Jo. Sanch. Diana, Tambur. Burgh.  
& alii apud la Croix. l. 3. p. 2. n. 1317. allegantes  
auctoritatem Pii V. negant Azor, Less. Tann.  
Filliac. Lavman &c.


Quæres, an, si cum aliquo in particulari, vel  
cum integra cunctitate generaliter dispensetur  
ad esum carnium in Quadragesima, censeatur  
etiam dispensatum quoad secundam refectio-  
nem? R. cum Cajet. Azor, P. Wiestner h. n. 7.  
affirmativè? quia per dispensationem ad esum car-  
nium tollitur substantia jejunii; & ruente princi-  
pali ruit quoque accessorium. c. 42. de R. f. in 6.  
Ex quo ulterius infero, si in aliqua diœcesi permit-  
titur eus carnum generaliter, nec illos, qui dis-  
pensationem quoad carnes non acceptant, & ci-  
bis esuriis voluntariè vescuntur, peccare con-  
tra jejuniū, qui illis diebus, quibus permittitur  
eus carnum, adhibent alteram refectionem in  
cibis esuriis; quia etiam quoad hos per dis-  
pensationem sublata est substantia jejunii. Et  
planè absurdum foret eos obligare ad abstinen-  
dum ab altera refectione, qui sponte aliquid ob-  
servant de præcepto Ecclesie, abstinendo à car-

O 3 nibus,

## 214 Lib. III. TITULUS XLVII.

nibus, non verò illos, qui nihil observant, & carnes comedunt. Nunquid talis, qui sponse non comedit carnes, & quem tu vis obligare ad abstinentiam à secunda refectione in cibis esurialibus, licet mutat mentem, & dicit: afferte mihi carnes ad cœnandum? & tunc in his iuxta potest adhibere secundam refectionem: quare ergo non etiam in cibis esurialibus:

**4** Dico 2. *Quantitas* ciborum esurialium, que in collatiuncula vespertina licet & absque omni peccato sumitur, potest esse vel absoluta respectu omnium, nempe media libra (quæ apud nos sunt 8. unciae) vel respectiva, nimirum respectu & proportione habita ad personas, quæ ampliori vel pauciori cibo indigent ad suam refectionem, ac à multis determinatur quarta pars justi prandii. Utraque sententia est verè probabilis, & traditurque à multis Doctoribus. Quando autem exceditur, equidein peccatur, sed non statim graviter: quando verò grave contrahatur peccatum excedendo, plerique DD. non determinant. *Qualitas* verò ciborum, an nimirum calidi sint vel frigidi, offa, vel pisces, vel fructus, vel placentæ &c. juxta Azor, Bonac. Burghaber, Sporer, & alios non attenditur, quorum sententiam prædictam probabilem esse censeo (modò consuetudo non repugnet) licet 30. DD. apud Diana contradicant, qui tantum permittunt leviores cibos, ut panem, fructus, bellaria, & pro more regionis caseum.



TUTU.